



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale,|| In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XX. V. teneatur homo de iure Diuino in articulo mortis confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

contritionemq; veram consequendam imbecilliores, tūm etiam ad Confessionem peragendam tardiores. Quæ res eiusmodi procastinatōribus non simplex creat periculū. Primiū, dum neq; de patrato dolere scele-re, neq; ipsis statutū est adhuc cōfiteri; periculum est, dum eius subit recordatio, vt ipsi fibi hoc in peccato placeant, quæ res eos nouo obstringit peccato. Alterum periculū est, ne, quod præcessit peccatum, multorū aliorum existat caussā. Ac demū metuendum est, ne peccata peccatis cumulando, in multorum veniamus obliuionem, quibus incōmodis omnibus occurrimus, si recēti vulneri præsentem adhibeamus medelam, ac peccatū quomodocunq; cōmissum fine intermis-sione Sacramento Poenitentiæ diluamus.

QVINTO, in Deuteronomio, & alibi, Deut. 22.
extat præceptum charitatis, vt, si viderimus asinum proximi sub onere iacentē, non per-transēamus, sed eū subleuemus. Igitur, cùm peccator subiaceat oneribus peccati; maiori multò ratione tenetur ex charitate, ad seip-sum habenda, se illicō subleuare. Remedium autem à D E O institutum, quo possit homo à peccato resurgere, est Confessio Sacra-mentalnis. Igitur ad eam continuò post pec-catum est confugiendum.

Teneturne homo de iure Diuino in Quæstio
articulo mortis confiteri? XX.

C 5

Tene-

Caput I. De Necessitate

Responso.

TEnetur: Nam peccator ad scelerum suorum Confessionem obligatur, & nō potest post mortē: Ergo, qui est in illo articulo, si non vult confiteri, exponit se periculo æternæ damnationis.

Sed quis, unde elicitur ius illud? Nam in Euangelio non dicitur, nisi: Quorum remiseritis peccata &c. Respondeatur, hoc insigni efficacia colligi, ex natura ipsius præcepti, quæ profectò ex eius fine est perpendēda: Sic enim quis efficaciter ratiocinetur: Sacramētum Pœnitentiæ ad hoc est institutū, ut per illud remittantur peccata, post Baptismum commissa; Necessitas autem huiusmodi remissionis quam maximè occurrit in exitu vitæ, quo utiq; momento, se ita comparare debebat infirmus, ut ab omni peccato purus, ac tutus à perpetuo supplicio in æternā felicitatem transmigrare posset: Ergo, tūm maximè articulus necessitatis Confessionis occurrit, si copia adsit Confessarij. Quæ ratiocinatio adeò est firma, vt, si non suppeteret alia, quisq; mortalium, qui modò aliquā suæ salutis gerat curam, in hac merito deberet conquiescere.

Iacob. 5.

Nihilominus id ex illo testimonio Iacobi maximè confirmatur: etiam suffragante D. Thoma. Immediatè namq; & consultò Sacramentum Pœnitentiæ cum Extrema Vnctione coniunxit, dicens: Ut infirmus confiteatur, & vngatur Oleo sancto, quasi tūm maximè

maximè Diuino iure sit necessaria Confessio ad abstergendas peccatorū maculas; & Vnctio ad eradendas earum reliquias.

*Teneturne homo iure Diuino, articulo Quæstio
mortis seu necessitatis secluso,* XXI.
*crebrius confiteri in
vita?*

SEccluso iure positivo, & mortis periculo, *Responso.*
tenemur iure Diuino toties cōfiteri, quoties periculū est humano iudicio, ne in obliuionem peccatorum veniamus.

Id quod probari potest ex huius præcepti fine, hoc modo. Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem omniū peccatorum obtainendam per Confessionem & Absolutionem; sed Confessio sine eorundē peccatorum memoria integrè (ut oportet) fieri nequit: Ergo cùm probabile periculum obliuionis occurrit, necessariò confitendum erit.

Ad hæc, tenemur iure Diuino D E V M diligere, & ipsius obseruare mādata; sed horum neutrū absq; gratia præstare valemus: Gratiam autē, peccato amissam, post Baptismū citra Confessionē, re, vel voto, suscepta, recuperare impossible est: Ergo ut gratia Diuina adiuti D E V M diligere queamus, & ipsius mandata obseruare; necessariū est confiteri, etiam extra mortis periculum.